

I. Ut *causa materialis, circa quam* intellectus agens versans speciem intelligibilem producit. Qua in re veteres triplicem actionem virtualiter solum diversam distinguunt: a) *Excitatur* intellectus ad abstrahendum eo ipso, quod phantasma praesens est in anima sensitiva, quae simul est intellectiva. Facultates enim sensitivae ordinatae sunt ad intellectum perficiendum eique materiam necessariam praestandam. Quae quidem intellectus excitatio vocatur a scholasticis „conversio ad phantasmata“. b) Deinde intellectus agens lumine sibi proprio illuminat phantasma, ut rei essentia appareat, quae actio vocatur a veteribus „illuminatio phantasmatis“. c) Denique intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem et intellectui possibili (i. e. sibi ipsi in quantum est intellectus simul abstrahens et cognoscens) imprimit, quae actio proprie vocatur „abstractio“.

Patet, triplicem hanc actionem, quam veteres distinguunt, esse potius triplicem relationem *eiusdem* actionis ad eundem effectum producendum, neque scholasticorum expressiones nimis premendas esse, quia in hac re difficili tropicis saepe utuntur verbis. Si igitur S. Thomas nonnunquam dicit, phantasma *movere, excitare* intellectum (non agentem, sed possibilem¹⁾, et esse instrumentum intellectus agentis, hoc non intelligendum est sensu stricto, sed phantasma considerandum est ut per operationem intellectus agentis iam *immutatum* et *quasi* instrumentum intellectus. Doctor enim angelicus phantasmata vocat expresse „*quasi* agentia instrumentalia“²⁾, eaque „*quodammodo* agere“ dicit; ubi vero ex professo de hac re agit, hanc relationem inter phantasma et intellectum ita definit: „Intellectiva cognitio fit a sensibili, non sicut a perfecta et totali causa, sed potius sicut a *materia* causae.“³⁾

II. Phantasma sive sensatio influit sicut *causa exemplaris*, 1^o non quidem *formalis*; nam a) intellectus agens non est formaliter cognoscens, ac proinde ad speciem intelligibilem efficiendam non considerat sensationem, sicut pictor exemplar in mente sua, secundum quod imaginem depingit; b) conceptus ex sensatione formatus in mente non repraesentat sensationem ut talem, sed essentiam rei in ea latentem, eamque modo abstracto, universali, quae omnibus eiusdem speciei rebus convenire potest, et aliquo modo immutabilis est, necessaria et aeterna. Conceptus igitur multo perfectius repraesentat rem quam sensatio, ac proinde sensatio non potest vocari eius exemplar formale.

2^o Est tamen *exemplar materiale*: a) *exemplar*, quia intellectus agens speciem intelligibilem efformat, non quamcunque, sed rei per sensationem hic et nunc praesentatae congruentem, ac proinde phantasma aliquo modo imitatur; b) est exemplar *materiale*, quia phantasma rem modo materiali et secundum apparentiam eius externam exhibet; intellectus autem, abstrahens a modo illo imperfecto, quo res in sensatione existit, eam modo immateriali et secundum eius essentiam exprimit per speciem intelligibilem. Merito igitur S. Thomas, Aristotele duce, intellectum agentem cum artifice comparat,

¹⁾ Cfr. c. gent. II, 59, arg. 5. ²⁾ Quodl. 8, a. 3. S. Theol. I, qu. 84, a. 6. „Phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet, quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem.“ ³⁾ S. Theol. I, 84, art. 6: Conclusio.

qui speciem intelligibilem secundum sensationem formatam intellectui possibili imprimit.¹⁾

Liber secundus: Natura idearum sive de universalibus.

1. *Notio*. Ostendimus, quomodo ideae oriuntur, earumque valorem obiectivum defendimus. Quaeritur nunc, *quomodo* habeant valorem obiectivum. Ratio dubitandi in eo est, quod ideae nostrae sunt universales et abstractae; res autem in se omnes sunt singulares et concretae. Inquirendum igitur est, quid conceptibus nostris universalibus a parte rei respondeat, sive *num* universale illud, quod exprimunt, in rerum natura inveniatur, et *quomodo* in rebus inveniatur. Haec quaestio, quae ab „introductione“ Porphyrii ortum duxit, in philosophia est celeberrima, quamvis nonnulli auctores in hoc errent, quod essentiam philosophiae scholasticae in hac quaestione posuerint.²⁾

2. *Divisio*: Triplex per se sententia excogitari potest: a) universale *nullo modo* in rebus inesse, sed in solis verbis vel conceptibus mentis (universale *post rem*); et hoc sentiebant, qui *Nominalistae* sive *Conceptualistae* vocantur, valorem conceptuum nimis deprimentes; b) universale *formaliter* a parte rei existere (universale *ante et post rem*); et hoc statuebant, qui *Formalistae* sive *Realistae exaggerati* nominantur, valorem conceptuum nimium exaggerantes; c) universale est quidem in rebus *realiter*, sed non *formaliter* (universale in re); et haec sententia intermedia inter priores est Aristotelis et scholasticorum, quam solam veram esse infra ostendemus. Errat igitur E. v. Hartmann, si scholasticos universale ante rem esse dixisse affirmat (Drews, p. 804).

Caput I: De Nominalismo et Conceptualismo.

Expositio: Fuerunt iam antiquitus³⁾, qui conceptibus nostris universalibus a parte rei nihil respondere docerent; sic Heraclitus (V. saec. a. Chr.) et Cratylus, quia nihil in rerum natura stabile ac necessarium habebant; porro Epicuræi cum Democrito, qui rerum singularitatem exaggerabant, nil

¹⁾ C. gent. II, 77; S. Theol. I, qu. 85 a. 1, ad 4.

²⁾ Cfr. Stöckl, Gesch. d. Philosophie, 1888, I, §§ 137, 170—173. Willmann, Geschichte des Idealismus, II, § 69 et 70; § 79—85. De Wulf, Histoire de la philosophie médiévale, 1905, p. 161, 442 sq. Windelband, Lehrb. d. Geschichte d. Philos., 1903³⁾, p. 236 sq.

³⁾ Cfr. S. Thomam apud Cosm. Alamannum, I, qu. 28, art. 1; opusc. 55 et 56 „de universalibus“.

omnino in atomis suis commune admittentes. Item Sophistae, quia cognitionem intellectualem cum sensitiva confundebant. Deinde medio aevo similem sententiam proponebat Roscellinus¹⁾ (saec. XI.), qui, oppugnans sententias Formalistarum, universale in solis vocibus inesse statuit. Postea vero hanc opinionem iterum restaurabant Sensistae et Empiristae, ut Hobbes, Locke, Berkeley, Hume, Condillac, et qui ipsis consentiunt nostro tempore, vel quia conceptus confundunt cum sensatione, vel quia obiectum immediatum cognitionis nostrae intellectualis putant esse affectiones nostras subiectivas. Vocantur igitur *Nominalistae*, quia universale in solis vocibus collocant.²⁾

2. Alii vero saltem id concedebant, universalitatem etiam in conceptibus nostris inveniri, non autem in rebus; unde conceptus putabant esse formas quasdam subiectivas, quibus res in se singulares coniungeretur, sicut in conceptibus collectivis, quin id quod conciperemus, in ipsis realiter inesset; et hi quidem *Conceptualistae* vel potius *Terministae*,³⁾ vocabantur. Hanc sententiam iam veteres Stoici Zenone duce proponebant; medio aevo vero *Abaelardus*⁴⁾ (saec. XI), *Aureolus* † 1321, Durandus † 1332, *Occam* † 1347, *Ioh. Buridanus*, Gregorius *Riminensis*, *Biel* († 1495, Tubingae⁵⁾); *Cartesius* autem et *Kantiani* recentioribus saeculis. — Contra quos statuatur thesis:

Thesis IX: Universale neque in solis vocibus, neque in solis conceptibus mentis consistit.

St. qu. 1^o Universale significat unum in pluribus; quare duo ad conceptum universalem requiruntur: aliqua ratio una eademque, et pluralitas aliqua, i. e. plures, in quibus illa ratio una obiectiva inveniri et de quibus praedicari possit idque eodem modo, i. e.

¹⁾ Cfr. Anselmum, De incarn. Verbi cap. 2. Mercier autem (Criteriol. 306 sq.) et de Wulf (l. c. p. 172) eum habent solum antirealistam.

²⁾ Sic Wundt (Logik, 1893, I, 113): „Jene Beziehungen (unserer abstrahierten Begriffe) sind in Wahrheit gar nicht Merkmale, die den Gegenständen selbst zukommen, sondern solche, die sich in unserm Denken erst bilden . . . Es ist die alte aristotelische Vorstellung, dass in den Dingen ein begreifliches Sein ruhe, das nur auf uns zu wirken brauche, um im Denken nacherzeugt zu werden“. Ipse Wundt definit conceptum hoc modo: „Begriff ist die durch aktive Apperzeption vollzogene Synthese einer herrschenden Einzelvorstellung mit einer Reihe zusammengehöriger Vorstellungen“ (Logik 1893², p. 51). Cfr. Gutbertet, Psychol., 1900², p. 125. Similiter Paulsen: „Begriff ist die Vielheit möglicher Anschauungen, wobei denn in gewissem Sinne das Wort oder ein anderes Zeichen als Substitut der Vorstellung gilt“. (Einleitung in d. Philosophie, 1901, p. 444.) Porro Taine (De l'intelligence, I, 26): „Une idée générale n'est qu'un nom pourvu des deux caractères du signe. Premier caractère, la propriété d'être évoqué par la perception du tout individu de la classe. Second caractère, la propriété d'évoquer en nous les images des individus de cette classe et de cette classe seulement“. Similiter Ribot: „un savoir potentiel, inconscient du nom“. Cfr. Pesch, Inst. log. II, 2, p. 427 de J. St. Mill.

³⁾ Cfr. de Wulf, Histoire de la philosophie médiévale², 442 sq.

⁴⁾ De Wulf, l. c. p. 461 sq. eum habet praecursorem Realismi moderati, non Nominalistam neque Conceptualistam. ⁵⁾ l. c. p. 381 sq.

univocæ. Unde in thesi per se conceptus univocus attenditur, non analogicus, qui non eadem ratione inferioribus competit.

2^o Distinguendum est universale directum et reflexum; universale directum abstrahit per se tum a singularitate, tum ab universalitate, neque exprimit nisi *comprehensionem* conceptus, e. g. homo = animal rationale; unde de rebus praedicatur; universale reflexum est ipsum directum, *sed in quantum* in pluribus invenitur, i. e. *extensionem* conceptus respicit, e. g. humana natura in Petro, Paulo etc.; et haec relatio universalis ad plura fit per operationem mentis, neque *formaliter* existit nisi in mente, licet a parte rei habeat saltem fundamentum reale, ut infra patebit. — Unde in thesi affirmatur universale directum *totaliter* et universale reflexum saltem *fundamentaliter* non in solis vocibus vel conceptibus inesse. Adversarii concedunt, universale vel in vocibus vel etiam in conceptibus inesse.

Prob. 1. Ex testimonio conscientiae: Conscientia testatur, nos id quod conceptus *directus* exprimit (comprehensio, e. g. homo = animal rationale), neque solis vocibus, neque conceptibus nostris subiectivis tribuere — neque enim vox homo est animal rationale, neque conceptus homo — sed ipsis rebus, quas conceptu directo exhibemus: Petrus est homo = animal rationale. Deinde testatur eadem conscientia, multa individua, e. g. homines, si uno eodemque conceptu *reflexo* comprehenduntur, non *arbitrarie* hoc fieri, quin ratio obiectiva adsit, sed quia *fundamentum* est a parte rei sc. similitudo naturae humanae in singulis hominibus, qui conveniunt in animalitate et rationalitate. *Atqui* conscientia in hoc fallere nequit; secus enim nullam fidem mereretur; agitur enim de unico medio cognitionis nostrae. *Ergo* universalialia non in solis vocibus vel conceptibus inveniuntur.

2. *Ex natura verbi et conceptus:* Verba sunt signa conceptuum, et conceptus sunt signa rerum, eaque suppositiva et signa „quo“ i. e. subiectiva, formalia (cfr. logic. p. 30). *Atqui* signum supponit rem signatam, ac proinde quum verbum sit signum universale, supponit conceptum universalem, et conceptus universalis rem aliquam universalem; accedit, quod haec res est obiectum immediatum conceptus directi tanquam signi „quo“ formalis, non ipsum signum. *Ergo* existit aliquid commune a parte rei.

3. *Ex absurdis:* Si vocibus vel conceptibus universalibus nil responderet a parte rei, non haberent ullam significationem. Nam non significarent quidquam singulare, quod est nominis proprii; neque significarent collectionem; nam nomen collectivum: a) non singularis competit, sed omnibus *simul* sumptis; b) augetur crescente numero; c) repugnaret dicere: e. g. Petrum esse hominem i. e. omnes homines; d) tunc omnia fere vocabula et conceptus essent inanes

et lusus mentis. *Atqui* nemo unquam dixit, voces et conceptus universales non habere significationem, quum sint medium unicum cognitionis nostrae et humanae conversationis et scientiae. *Ergo* universale, quod voces et conceptus exprimunt, non est in sola mente.

4. *Ex praedicatione*: In iudicio praedicatum per *identitatem* de subiecto praedicatur, ut ex forma iudicii et ex omnium conscientia et consensu apparet; et praedicatum est semper conceptus universalis. *Atqui* absurdum est dicere et repugnat conscientiae: a) *vocem* vel *conceptum* mere subiectivum de subiecto, quod est res singularis, (e. g. Petrus est homo = animal rationale) praedicari; b) *collectionem* in sensu Conceptualistarum de subiecto praedicari (e. g. Petrus est homo = collectio omnium hominum); c) praedicationem solum ratione *similitudinis* fieri, ut conceptualistae affirmare debent (e. g. Petrus est similis homini). *Ergo* universale non solum existit in voce vel conceptu subiectivo.

5. *Ex obiecto scientiae*. a) *Materiali*: Obiectum scientiarum est aliquid reale, neque solum consistit in vocibus vel conceptibus subiectivis explicandis. *Atqui* obiectum scientiarum primum non sunt res singulares, sed rationes universales, quae verbis nostris et conceptibus exprimuntur, e. g. leges logicae, theoremata mathematica, leges naturae etc.¹⁾ *Ergo* universalis non consistunt, neque in solis vocibus, neque in solis conceptibus nostris.

b) *Formali*: In omnibus scientiis quaedam veritates *universales* supponuntur (axiomata), saltem leges cogitandi: principia identitatis, rationis sufficientis, causalitatis etc. *Atqui* nisi ideis nostris universalibus quidquam subest ex parte rei, illa principia non habent valorem obiectivum, ac proinde omnes scientiae carerent supposito reali, quod absurdum est. *Ergo* . . .

Ipsa historia philosophiae testatur, Nominalismum et Conceptualismum ex se Scepticismum produxisse. Sic iam veteres Sophistae erant Sceptici; sic Occam negat, Dei existentiam, animae spiritualitatem et immortalitatem posse probari, rerum possibilitatem a Dei voluntate dependere affirmat. Sic Locke et Berkeley Nominalistas Hume Scepticus secutus est, neque quemquam latet, Scepticismum et Subiectivismum, hodie in philosophia a multis propagatum, ex Nominalismo Sensistarum, Empiristarum, Positivistarum, sive ex Conceptualismo Kantiano ortum esse. (Cfr. supra p. 103, 134, 191 sq.)

6. *Argumentum ad hominem*: Nominalistae concedunt, nos habere saltem ideas collectivae, et Conceptualistae concedunt, nos rerum saltem similitudinem apprehendere. *Atqui* idea collectivae supponit rationem obiectivam, eamque vel absolutam in singulis (naturam),

¹⁾ Cfr. A. Schmid, Erkenntnislehre, II, 152 sq.

vel relativam: causae et effectus, vel totius et partis, finis et mediorum inter membra ad unum collecta, in qua ratione individua omnia conveniunt; alioquin nulla esset ratio, cur ideae collectivae e. g. exercitus, familia, non quibuslibet rebus e. g. lapidibus, sed certis quibusdam et determinatis conveniant. Porro etiam similitudo rerum supponit rationem aliquam communem obiectivam, in qua res similes congruunt; secus nulla esset ratio, cur illae res potius, e. g. homines et non aliae res, e. g. homines et lapides inter se essent similes. *Ergo* ratio universalitatis neque in vocibus, neque in conceptibus tantum inest.

Obi. 1. Quidquid existit, est singulare; ergo repugnat conceptus universalis; dist.: subiective consideratus (in ordine existendi) — conc.; obiective spectatus (in ordine repraesentandi seu logice) — nego.

Retorqueo: Tunc neque vox universalis esse posset.

2. *Atqui* etiam obiective seu logice repugnat; nam res sunt singulares, et conceptus debent res repraesentare, sicut sunt; dist.: quoad id, quod exprimunt — conc.; quoad modum, quo exprimunt — nego.

3. *Atqui* debent etiam modum singularem rerum exprimere; nam praedicantur per identitatem; dist.: per identitatem physicam et adaequatam, materialem — nego; metaphysicam vel inadaequatam, formalem — conc.

Retorqueo: Ergo voces et conceptus subiectivi, quum in iudicio praedicantur, deberent esse ipsae res, quod est absurdum.

4. *Atqui* deberet esse physica identitas; secus enim mens non supponeret, sed faceret obiectum suum; dist.: faceret quoad naturam conceptam — nego, quoad modum, quo illam naturam concipit; subd.: quin sit fundamentum in re — nego; alias — conc.

5. *Atqui* faceret suum obiectum quoad naturam, vel saltem non esset fundamentum in re; nam a) nil est in intellectu, quod non fuerit in sensu; dist.: quoad ortum cognitionis — trans.; quoad naturam perceptam — nego.

b) Sensus non referunt nisi accidentia sensibilia; dist.: per se — conc.; per accidens, subd.: nisi in homine esset facultas superior — conc.; cum nobis sit facultas superior, i. e. intellectus — nego.

6. *Atqui* intellectus non percipit rem diversam ab obiecto sensibili; nam in omni cognitione adest repraesentatio rei sensibilis, saltem imago communis; dist.: simul cum conceptu universali — trans.; sine conceptu universali — nego.

7. *Atqui* saltem nullum est fundamentum conceptus universalis in re, Nam illud fundamentum a parte rei esset aut aliquid singulare aut universale. *Atqui* si est quid singulare, fundamentum non esset iam universale; si est universale, existeret aliquid universale a parte rei, quod est impossibile. *Ergo* nullum est in re fundamentum conceptus universalis.

Nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut aliquid universale simul et singulare.

8. *Atqui* aliquid universale simul et singulare repugnat; dist.: repugnaret, si sub *eadem* ratione (e. g. essentiae) esset simul universale et singulare.

lare — conc.; cum res sub alia ratione sit universalis (essentia *metaphysica*), sub alia autem (modus individualis *existendi*) singularis — nego.

9. Atqui sub eadem ratione res deberet esse universalis et singularis; nam existentia rei singularis identica est cum natura rei singularis; dist.: physice — trans.; metaphysice, subd.: natura infinita, quae est ex se (Deus) — conc.; natura finita — nego.

Caput II: De Formalismo sive Realismo exaggerato.

Expositio: Diversae species Formalismi excogitatae sunt. 1° *Plato* propter certitudinem scientiae, constantiam specierum et legum naturae, perfectionem rerum finitam universalialia *per se separate* existere affirmare videtur, praesertim in *Timaeo*, ipsis tribuens vitam, motum, operationem. Ita *Aristoteles* et post ipsum scholastici eius sententiam interpretati sunt. *S. Augustinus* (*Retract.* I, 3.) vero et alii multi eum non nisi ideas divinas tanquam rerum exemplaria statuissent arbitrantur.¹⁾ Ad *Platonis* sententiam accedit *Avicenna*, philosophus princeps Arabum, intellectum universalem agentem statuens, qui nobis conceptus rerum, rebus autem formas suas tribuat; deinde *Averrhoes* intellectum et agentem et possibilem universalem esse putavit. *Victor Cousin* († 1867) rationem quandam impersonalem, *Ontologistae* et *mystrici* intuitionem divinae essentiae statuebant.

2° *Scotus Erigena*²⁾ (saec. IX) in schola palatina Parisiensi, sequens *Neo-Platonicos*, formas ipsas rerum etiam materialium ideales et universales esse censuit, ac proinde conceptus omnes formaliter existere; quem secuti sunt *Amalricus de Chartres* et *David de Dinanto* saec. XII, a concilio Lateranensi 1215 reprobati. Similem sententiam, teste *Abaelardo*, *Guilelmus Campellensis* († 1121) tradidit, docens res singulares non nisi accidentaliter differre. Neque multum ab eo differre videtur *Duns Scotus*, „doctor subtilis“, *Franciscanus* († 1308 *Coloniae*), *Maestrius* etc., distinctionem formalem ex natura rei inter realem et rationis statuente; unde putant, naturam, licet realiter sit identificata cum individuo, formaliter tamen ex natura rei distingui ab individuatione.

Thesis X: Universalialia neque formaliter in se, neque formaliter in rebus existunt.

I. Universalialia non formaliter in se existunt.

*Prob. 1. Ex natura universalis*³⁾: Quidquid existit, est singulare; nam eo ipso, quod existit, distinguitur ab omnibus aliis existentibus, neque potest nisi certo modo existere. Ergo universale, si existeret per se, deberet esse eo ipso singulare et distinctum ab

¹⁾ *Phaedon*, 49; *Theaetetus*, *Cratylus* etc. *Rolfes* (*Philos. Jhrb.* 1900, p. 221 et 404 sq.) argumentis haud spernendis ostendere conatur, *Platonem* metaphorice seu poetice locutum esse, ideasque suas in Deo, quem ideam boni vocat, collocasse. ²⁾ Cfr. de *Wulf*, l. c. p. 170 sq. ³⁾ *Aristot.* *metaph.* I, 9; XIII, 9. Cfr. *S. Thomam* apud *Cosm. Alam.* I, qu. 28, art. 2; opusc. 53, 55, 56 (ed. *Lugd.*)

omnibus aliis. Atqui hoc eius naturae repugnat; est enim unum idemque in pluribus. Ergo universale non potest separate per se existere.

2. *Ex relatione ad individua*: Homo universalis separatus aut esset in *Platone* et ceteris, aut non. Si primum, vel eadem numero natura humana esset in omnibus hominibus, et tunc revera non nisi unus homo esse posset, quod conscientiae repugnat et pantheismum induceret; vel numero eadem natura humana esset divisa in omnibus; sed tunc deberet simul esse una et plures realiter, esse sibi identica et non identica, quod item repugnat. Si autem illa natura humana universalis non esset in singulis hominibus: a) non esset universalis, i. e. unum in pluribus, sed esset iam singularis, individua; b) *Plato* et ceteri non essent revera homines, quod conscientiae repugnat. Ergo non existit humana natura universalis per se, quod de omnibus universalibus dicendum est.

3. *Ex absurdis*: a) Si universalialia per se existerent, deberent non solum substantiae universales, sed etiam accidentia per se existere; nam sunt realitates aliquae, et conceptibus universalibus exprimuntur. Atqui repugnat naturae accidentis, esse per se; e. g. motus universalis, i. e. sine directione, intensitate etc. quid est? Ergo . . .

b) Si universalialia per se existerent, non solum species statuendae essent, sed etiam genera universalialia: rationale — sensitivum — vivens — corpus — substantia — ens deberent existere. Atqui hoc absurdum est; nam tunc unitas nostra realis destrueretur, et esset pantheismus universalis, quia omnia in ratione entis realis identificarentur. Ergo nullum universale formaliter per se existit.

II. Universalialia non formaliter in rebus existunt.

Prob. 1. Ex natura rerum existentium: Quidquid existit, est singulare et quidem intrinsece; nam eo ipso, quod hoc modo existit, non est aliud; et conscientia nostra testatur, nos intrinsece distinctos esse ab aliis, habere corpus, animam, facultates nobis proprias: actus in anima ipsa immanentes non esse nisi in nobis, nosque debere respondere, si quid peccavimus. Atqui si natura esset formaliter universalis in rebus, eadem in omnibus: a) non posset fieri singularis in individuis: non per se; secus deberet intrinsece in singulis mutari, quod impossibile est, et eo ipso constitueretur iam individua; neque per accidentia (notas individuantes) fieret singularis, quia accidentia non mutant essentiam, sed eam supponunt et ex ea oriuntur; b) tunc revera non existeret, nisi unus homo sub diversis accidentibus, quod absurdum est. Ergo natura non est formaliter universalis in singulis.